

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Dissertationis stoicae de praeparatione ad futuros casus

...

Bernd, Adam

Lipsiae, 1704

VD18 90576098

De Praeparatione ad futuros Casus. Pars Prior.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-15936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-15936)



De Præparatione ad futuros Casus

PARS PRIOR.

§. I.



Ntequam ipsam Thematis nostri Tractationem aggrediamur, & primo quidem explicemus, quid per Præparationem ad futuros Casus nobis velimus; Præparationis quædam quasi Præparatio nobis instituenda resque à primis repetenda videtur initiis, ut eò melius appareat, quomodo ad hanc Philosophiæ moralis Partem ordine deveniatur, & quæ ejusdem cum aliis Ethicæ Partibus sit connexio.

§. II. Post existentiam mei ipsius demonstratam per internam cogitationis & omnium eorum, quæ in me peragi sentio, Conscientiam, facile deinde deducor in existentia ipsius Dei Notitiam, utpote Animæ rationali si non per Ideam de Deo Cartesianam connatam, actu primo & Potentia proxima (a) impressam. Si enim meipsum & deinde hoc Universum considero, de cujus existentia non tantum ex scriptura sacra sed & Lumine Naturæ convictus sum (b), effectus de sua Causâ, motus materiæ ignavæ seipsam movere non valentis de suo testans motore, res ad certum finem determinatæ & suum tamen Finem ignorantes; denique absurditas unius substantiæ Spinozianæ (c) & æternæ successionis rerum, migratione Gentium & Artium Inventionem aliisque rationibus facile refutandæ, sufficientia ad demonstrandam aliquam æternam mentem, quæ ut reliqua omnia, ita & me creaverit, Argumenta.

[(a) vide Musæum in introduct. c. 2. (b) aliter statuit autor de Inquisit. veritatis lib. 1. c. X. lib. 6. c. 6. & in annot. p. 349. 361. (c) refutatam vide in Henrici Mori subversione Columnarum Atheismi Spinoziani Tom. 1. opp. philos. p. 615. sq.]

§. III. Impossibile autem videtur, ut ille, quem ampliando Ideam, quam de Bonitate mei aliarumque rerum creaturarum habeo, non possum non ut optimum concipere, talia produxerit, quæ in se fuerint mala; aut excellens præ reliquis operibus Plasma Hominem finxerit, ut illi male esset; quin potius, cum causa infinitæ Perfectionis non sit detestatura suum Effectum, concludam, Deum, Hominem mente tam egregie suum Creatorem referentem insigniter amasse, ipsi bene cupiisse, & omnes Felicitates, quas Condicio Naturæ humanæ requirere visa fuit, contulisse.

§. IV. Mihi verò penitus me inspicienti observantique me substantiam cogitantem seu mentem, cum Corpore tamen organico conjunctam esse, non alia certe poterit occurrere Imago Felicitatis, quæ in me cadere possit, quam neque quoad animam, neque quoad corpus inordinatis & nimis motibus subijci; sive quod Corpus attinet, sanitatem, quod mentem spectat, inter omnia Generis humani Bona, summum, Tranquillitatem, Quietem, aut quomodocunque sedati Animi malaciam nominare velis, possidere; Non quod summum Hominis Bonum in perfectâ Indolentia cum quibusdam ponam, & absolute pronunciem summum Bonum esse Tranquillitatem Animi, ita ut Fulcrum excludam, in quo desideria & motus Animi conquiescunt; sed mihi h. l. sermo esse debet de summo Bono secundæ acceptionis seu de Ipsâ Beatitudine in fruitione Boni primæ acceptionis consistente & Causæ Beatitudinis, auctori & tanquam Fonti seu Bono primi significatus contradistinctâ.

§. V. Hâc peracta Meditatione qualis esse debeam, si transeo ad Considerationem mei, qualis nunc sim, plane alium & contrarium me invenio, & non solum Corporis mei machinam mille video Casibus, vehementibus alterationibus, ipsi denique dissolutioni obnoxiam; sed & mentis serenitatem aut plane nullam cerno, aut minimum tantum non quotidie turbulentis Affectibus perinde ac nubibus & nebulis obsessam, miserum Animum sævo Impetu ad Consilia sæpe abripiantibus, cum Fine meo, ob quem me Creatum deprehendo, plane non consentientia.

§. VI. Ex his omnibus, si sapio, non possum non tenui licet imagine colligere, me non esse in primo illo statu, in quo creatus sum, sed forte ingens aliquid olim contra Creatorem ausum hanc malorum servitutem, mihi Pœnæ loco accelerasse. Conjicio hoc ex reliquâ rectæ Rationis scintillula, non vocatâ in Consilium ad collustrationem Intellectus mei, Luce revelata. Neque enim ignotum, etiam Platonem (a) jam olim
eadem

eadem ferme suspicatum, quamquam in eo lapsus fuerat, quod solas Animas peccasse & ob scelus in Corpus tanquam invidiosum Carcerem detrusas crederet. Laudabiliter autem in meditationibusque moralibus ubique à Lumine revelato præscinditur, ut eò melius discrimen inter Naturam Gratiam, & quousque Intellectus ex viribus naturalibus in ratiociniis & meditationibus pertingere possit, appareat.

[(a) Cleombrotus apud Plutarchum de def. oraculorum f. 414. illi hanc opinionem tribuit; quam etiam Pythagoræ adscribit J. Lipsius ad Eusebium provocans lib. 14. de Præp. Evangel. Physiol. Stoicæ lib. 1. dissert. 14. Stoicis adscribit J. Thomasius peculi. dissertat. addit. Commentationeius de Stoica mundi exustione p. 162. sqq.]

§. VII. Licet tamen sic quam maxime miseram me sentiam, non tamen eousque à Deo me abjectum facile credam, ut ne quidem ad sublimem quendam primæ Felicitatis Gradum me redire velit, si forte ad pristinum Beatitudinis Culmen reditus in his Terris non pateat. Ut enim ita & non aliter sentiam, ipse internus in me, quem sentio, stimulus suadet, certe non frustra à Natura vel potius à Naturæ Autore mihi datus aut relictus, qui me non dicam ducit, sed plane velut trahit & cum impetu fert ad Bonum in Genere, ad Conservationem Corporis, ad Tranquillitatem Animæ; paucis qui me incitat ad quærendum statum, in quo Corpore & Animæ meæ bene sit, Cum itaque Non Entis nullæ sint affectiones, ex instinctu ad Bonum argumentabor ad existentiam alicujus excellentis Boni, quod; si non semper Corpori tanquam ignobiliori hominis Parti, minimum Animo Tranquillitatem suam affert.

§. VIII. Circumferens autem per totum hoc Universum oculos & non perfunctorie intuens in omnes res creatas, quæ me circumstant, & quarum multæ specioso Boni Titulo superbiunt, quæque etiam Conservationi Corporis mei inservire possunt, excitandæque in Animo aliqua voluptati aptæ sæpe sunt; nullum tamen in istâ rerum congerie Germanum Bonum inveniam, quod intimo Amore mihi unitum veram & constantem Animi Acquiescentiam largiri valeat. Et idem propemodum mihi contingit in réperiendo Animi Bono, quod Proavo nostro Adamo in inveniendo Corpori Bono, lustratis scilicet omnibus animalibus iisque impositis nominibus, non vidit, cum quo Unionem sui commode expetere aut cuius adjutorium magnopete posset desiderare. Ipsâ etiam Experientia insufficientiam imò fallaciam mundanorum Bonorum disco, quæ ante Fruitionem suam nescio quo Bonitatis Fuco se adornant & irrationali Animi desiderio nimium quantum blandiuntur: simul ac

verò possidentur & gustantur, satis cito Opinionem Boni magnâ ex parte amittunt; & mens, quæ antea adeptione illorum æternam sibi quietem promiserat, nuuc pro Junone Nubem arripuisse deprehendit, ad novas mox Boni species cujusdem forsân vanitatis inordinato æstu properans.

§. IX. Nullum igitur Natura in sinu suo cum foveat Bonum, cujus Amor aut facta cum illo Unio me vere felicem reddere possit; quid aliud hinc concludam, quam ad omnium excellentissimum & summum mihi adscendendum esse Bonum, cumque nullum præstantius illo dari posse Bonum intelligam, à quo omnia cetera Bona, quicquid tantum Bonitatis & realitatis habeant, profluxerunt, ad ipsum Deum me convertendum statuam, omnis Boni Fontem & Autorem, cujus Amor, cujus Possessio, cujus Unio, imo cujus Amicitia me beatum facere & æstum & abyssum omnis inquieti desiderii explere valebit.

§. X. Sic quidem, quod jam Initium quoddam meæ Felicitatis est, in Notitiam Autoris Felicitatis meæ perveni. Video jam è longinquo excelsum illum & securum montem, in quo evehctus super Imbres, Tempestates & rerum humanarum Turbines jucundo Tranquillitatis sereno frui possim; ast quæ viæ ad beatam istam sedem ducant, quibus mediis tam optanda summi Boni Possessio acquirenda: quid factò opus, ut iste Deus, inter quem & me infinita distantia est, fiat meus, hoc opus, hic Labor. Verum, qui, ut omnia, ita & Hominem propter seipsum creavit, & seipsum sic ultimum Homini Finem constituit, versus quem tanquam Centrum omnium humanarum Actionum Lineæ tendant, non potuit non etiam de mediis eidem prospexisse, quorum Beneficio istum Finem Finem Deum obtinere queat. In humanis ille, qui alterius Amicitiam ambit, ante omnia attendit, quid alter à se fieri velit; ita Homo uniturus se intimiori Amore & Amicitia cum æterno Deo, dum de iis cogitat, quæ Deus ab eo fieri aut non fieri postulat, in se ipso statim sentiet æternas Amoris & Amicitia Leges jam diu ante in Corde suo esse scriptas: agnoscet judicium connatum honesti & turpis seu dictamen rectæ rationis, conscientiam omnium Actionum huic Amicitia non repugnantium Indicem & judicem veluti Fœdera jucundissimæ illius Pacis inter Deum & Hominem esse jam olim à Deo cum homine inita: in se deprehendet quandam obligationem, quam Creatura tot tantisque Corporis & Animi Bonis donata ad Laudes, Gloriam, Honorem, cultumque Creatoris, obligatur, non ex prava Educatione natam, non à majorum

jorum superstitione profectam, non à mundi Principibus ad indomitam
eò melius regendam plebem effectam, sed Dei quasi digito in ipsa Ani-
ma exaratam durante in omnem vitæ ætatem caractere.

§. XI. Hæc dum in me observo, in ingens mei solatium simul in-
feram necesse est, Deum jam me prævenisse Amore & ipsum primum
quærere unionem, quam ego opto, quò ego nitor: per me saltem stare,
utrum prævenientem illum Amorem & benevolum Dei Affectum velim
admittere, an temerario ausu ipsi ponere obicem & remoram injicere:
mihi incumbere, ut, cum hic inter amantes & extrema Amicitia summa
sit inæqualitas, Amori Dei, qui est amor Benevolentia, Amore meo,
qui obedientia Amor est, (a) semper respondeam: ut, cum Amoris be-
nevoli Affectus mihi imprimat Leges in Corde, earumque observationem
à me requirat, ego obsequii Affectu secundum istas præscriptas Leges prom-
pte agam: ut semper faciam obsequiosus Filius, quod velle fieri cœlestem
Patrem, ex arcanâ illâ Conscientia Lege scio; nam & in his divinis idem
cum Deo velle & nolle erit demum vera cum Deo Amicitia. Neque me
fallit talis ratiocinatio; ipse enim deinceps ex praxi disco, quo exactius
æternam illam Amicitia regulam mihi impressam observem, eo magis me
frui Deo, eò majori Animigaudere Tranquillitate.

[(a) vide Arnoldi Geulines Eth. Tract. 5. §. 1. p. 360.]

§. XII. Jussa vero illa magni mei Ducis nunquam obediens mi-
les capeffurus sum, nisi prius Tyrannicis Sensuum & Imaginationis Impe-
riis me subducam: nisi prius perversam de Excellentia corporeorum mun-
danorumque Bonorum opinionem exuam, & amorem inferiorum horum
Bonorum Amori summi Boni subordinem; satis citò enim deinde expe-
rior, quò magis à nimia æstimatione spuriorum Bonorum & illorum u-
nitione abeam, eò magis ad beatam cum summo Bono unionem me ac-
cedere: quò longius à Creaturis abstrahar, eò propinquiorem me meæ
Felicitati & ipsi Deo fieri.

§. XIII. Ut autem à nimia æstimatione & Amore Boni inferioris
eò felicius abeam, oportet recte de iis sentiam, & quidem Bona Cor-
poris quod attinet, ut non Amore præ aliis rebus ea digna censeam, nisi
in quantum ad Conservationem vitæ meæ sunt necessaria: Oportet recte
judicem, quousque omnia illa, quæ in hac vita me circumdant, quæ mi-
hi ab extra adveniunt, quæ mihi, dum vivo, agenda sunt, boni aut mali
Nomen mereantur: quousque cum summi mei Boni Acquisitione vel
suaviter conspirent, vel fortiter cum illa pugnent: quousque cum æternâ

Crea-

Creatoris Lege in mente mea conveniant, quousque ab illa discedant. Requiritur ergo rectum ante omnia de Bonitate vel pravitate rerum iudicium, quâ iudicii rectitudine deficiente, cum diversa Animæ iudicia sequantur diversi Animi Corporisque motus, non possunt non sæpe turbulentissimi exoriri affectus, non tantum omnem Animi Tranquillitatem everfuri, sed & non rarò harmonicam & artificiosissimam Corporis nostri machinam vel plane destructuri vel minimum in inordinatissimum conjecturi motum; Imo ex hoc Principio tanquam ex vitioso Fonte non possunt non deinde etiam vitiosissimæ Actiones promanare à summi Boni unione, & ut ita dicam, ipso Cœlo toto Cœlo aberrantes.

§. XIV. Si vero res tanti momenti imò Initium Infelicitatis nostræ falsum de rebus ferre iudicium, nonne & hic locum habebit commune illud: deliberandum scilicet esse diu, quod statuendum est semel? præstabit sane tùm, non temerario & cœco plane Impetu in Assensum aut dissensum propositæ quæstioni dandum ruere & iudicium præcipitare, sed potius libertate mentis uti, quam connatam nobis scimus, & perceptâ nondum satis objectarum Idearum Bonitate vel malitia, iudicium plane ad Tempus suspendere, donec Intellectus meliori luce collustratus rei Naturam accuratius perspexerit.

§. XV. Speciosa hæc quidem sunt & Consilium haud malum, melius tamen, si eadem facilitate, qua profertur, deduci posset in Actum. Duo enim sunt, quæ uno ictu quasi hoc Consilium evertere & tantum non semper videntur reddere irritum. Primo quidem Homo non rarò talibus se expositum videt Casibus, qui ipsi plane præter omnem spem & opinionem obtigerunt, quique vel infinitis Blanditiis Bonique apparentis, vel summâ mali atrocitate, quam præ se ferre videntur, securam & nihil tale cogitantem Animam tam vehementi & tam incredibili Celeritate percellunt, ut nullum sententiæ Dilationi iudicii que suspensioni concedant spatium, sed iudicium Animæ quasi furentur. Vix cognovit anima & jam iudicat, vix audiit partes & jam decidit, vix decidit & jam movetur, vix mota est & jam ipsa movet, vix movit & mox spiritus, sanguis totaque Corporis structura miseris tumultibus concussa, tota mentis serenitas spissis Nebulis obsita. Deinde etiam quædam nobis accidunt, quæ non amplius suadent, sed plane cogunt Animam ad ferendam decretoriam quandam sententiam. Dantur mala Corpori aut totam ruinam & totalem dissolutionem aut minimum gravem læsionem allatura, nisi Animæ pro diversitate objecti diversum ferat iudicium, ut modo Cor-
pus

pus ad imminens malum vel fortiter repellendum vel patienter ferendum disponere possit. Sæpe etiam Bona certa obtinenda aut mala removenda nobis offeruntur, quæ primâ Fronte Homo nescit, num odio an verò Amore digna, ita tamen, ut Animæ, accipere ea velit, an rejicere, non ultra bihorium aut breve Tempus, deliberandi spatium concedatur, sicque coacta sit Electionis vel Reprobationis decretum facere, nisi magnâ Parte Felicitatis suæ velit excidere & non apprehensâ capillatâ occasione posthac in Barathrum Mœroris & Curarum se dare præcipitem.

§. XVI. Contra hos itaque Casus, quàm inexpectati etiam sint & atroces, nullum unquam mihi visum fuit remedium salutaris, quàm Animum in longinqua mittere, adversus omnia, quæ accidere possunt, se hortari & indurare, imminetia tela discere prævideri, ut, cum appropinquaverint, minus noceant: in ipsâ securitate Animum ad difficilia præparare, & contra Fortunæ vel injurias vel blanditias etiam inter beneficia & Asperitatem firmare; rem ante exercere, quàm contingat, ut, cum contigerit, non trepidemus: omnia nobis sive læta sive dura & iniqua in antecessum reddere familiaria, ut nullo tempore imparatos Fortuna deprehendat: ut brevibus dicam, præstat è specula veluti: Eventus rerum contueri & de illarum accessu animum monere, ut omnia decidat, antequam ingruant, omnia dijudicet, antequam tribunali mentis præsentiora se sistant, ut deinde, cum evenerint sententias jam latas in promptu habeat, sine mora ferat & in tranquillitate suâ aureâ persistat.

(Seneca lib. 1. Epist. 4. lib. 2. Epist. 18. lib. 3. Epist. 24.)

§. XVII. Et hæc est illa Præparatio ad futuros Casus, de quâ pauca pro modulo nostrarum virium in medium proferre nobis Animus est. Titulo Dissertationis nostræ, utut primo Aspectu forte non satis claro, multum hoc Præfamine jam affusum fuisse Lucis existimamus, ut adeo pauca in eo supersint, quæ obscuritate adhuc laborent suâ. Casus, contra quos Præparationem suademus, inscripsimus futuros, non habito respectu, utrum futuribilitas, ut ita dicam, illorum sit omnium momentorum aut dierum vel venturorum demum Annorum. Casus h. l. nobis sensu paululum laxiori omne illud, quod nobis in vita evenire potest: sive illud in se & suâ Natura aut ratione Temporis tantum sit contingens, sive respectu utriusque sit necessarium: Tantum notetur, quod h. l. innuamus, per Casus omnia, quæ, cum nobis eveniunt,

B

nisi

nisi in adamantinum & bene præparatum Pectus incidant, vel bonitate suâ, apparens sit vel genuinâ, vel magis adhuc atrocitate suâ, perinde iterum imaginaria an verâ, Animum nostrum ex statu Tranquillitatis in Perturbationē, Corpus in inordinatos motus & discrimen sanitatis con-
jicere valent. Præparationis Terminum quod attinet, eam indigitamus, quæ Homini convenit, ut adeo à subjecto Præparationis h. l. excludantur Bruta. Si enim cum Aristotelicis Animam sentientem quandam sine mente & materialem vitale in Brutis Principium credas, aut cum Cartesianis purum Naturæ Mechanismum in illis tanquam artificiosis machinis tibi imagineris (quæ diversarum scholarum sententiæ forte non adeo, ut communiter putantur, sunt à se invicem remotæ) tum plane præparatio talis in illa non cadit, quippe quæ necessitate Naturæ & positis omnibus ad agendum necessariis, positis certis objectis spiritus animales vario motu moventibus, non possunt non agere & pro idearū diversarū impressione diversimode Corpus disponere & movere. Quod si verò cum recentioribus quibusdam Physicis (a) principium quoddam immateriale licet inferioris dignitatis, quam quidem nostra Anima est, illis attribuas, tum nihilominus & talis modi Præparationis in illis nobis non sumus conscii, & si forte aliqualis ipsis concedatur Præparatio ad futuros Casus, cum nostra tamen Præparatione, de quâ hic nobis sermo est, non erit comparanda. Præparatio autem Hominis, qui libertate & Contrarietatis & Contradictionis pollet, cum sit hujus loci, varias etiam alias Præparationis species in ipso Homine obvias removemus Considerationi nostræ non substantes & Corpus immediate respicientes. Præparationem enim Homines instituunt sæpe contra futuros Casus, sed ut illorum Adventum in Tempore declinent: Malorum vim irruentium non sustineant sed prohibeant. Ense non rarò recidunt, ne pars deinde trahatur sincera. Princeps inter media Pacis Halcyonia de Turbinibus Belli cogitans, aditus regionis munit & claudit, fortalitia exstruit, urbes mœnibus cingit, ut futura hostium invasio sit frustranea, oppugnatio Urbium irrita. De sanitate etiam anxii & de ipsâ vitâ, antidotis venena præveniunt & variis aliis Machaoniæ Artis Præceptis & remediis insalubritatem Aeris aut Corporis discrimina prævertunt. Præparant etiam se mortales ad Futura, ut, si non possint, præcautionibus suis omnibus ea prohibere, saltem id obtineant, ne suo accessu vitæ & Corpori noceant. Sic Paterfamilias Annonæ Caritatem futuram forte præsentiens, collecto pro se liberisque suis in aliquot annorum spatium

tium

tium Frumento contra Famem ingruentem se munit. Ut multas alias Præparationes sicco præteream Pede, de quarum nullâ titulus nostræ dissertationis loquitur; Cum nobis potius sermo h. l. sit de tali Præparatione Hominis, quæ est Actio mentis humanæ interna, quâ Homo omnia, quæcunque ipsi in vita sive læta sive aspera obtingere possunt, sedulo præmeditatur, de illorum Bonitate vel Malitia, dum adhuc salva res est & mens nondum affectibus vehementioribusque Animæ commotionibus perturbata verum & defæcatum fert iudicium, serium insuper & crebris Actibus repetitum facit propositum, de iisdem nunc absentibus, cum præsentia futura sunt, eodem modo sentiendi, ut, cum reddita fuerint propinqua, ejusdem iudicii recordetur & iterum ferat, sicque non capacia sint nimis animum Hominis motibus abripere, & per illos simul ordinatissimam Corporis compagem in discrimen adducere.

[(a) vid. Joh. Clericum Phys. lib. 40 c. 12.]

§. XVIII. Nolumus autem impræsentiarum æternis ex recentioribus & antiquis Autoribus Citationibus nauseantem creare stomachum, quos tantum non semper in Causæ nostræ Testes, etiam cum nulla Necessitas cogit, advocamus; facturi potius Periculum, quousque proprio Marte proprioque meditamine in his rebus progredi possimus, evolutoque potius Conscientiæ Volumine, visuri magis, quid ratio nostra, quàm quid aliorum oratio dictitet: magis consulturi ea, quorum vobis metipsi conscius sumus, quàm quæ in ignotam & alienam resolvuntur Fidem; præsertim cum semper nobis (ne omnem Autoritatem Virorum simpliciter respuere videamur,) placuerit illud celeberrimi cujusdam Professoris in vicinâ Academia: Scribimus per totam vitam & describimus, quæ aliis cogitata fuerunt, nostra facimus, quos Flores & Fructus alii ex alieno solo collegerunt, nos quoque ab illis decerpimus, nostrum interim ingenii Agrum à Natura fortassis non ad omnem sterilitatem damnatum propriis Meditationibus non excolimus. Si enim cumallegationum novorum Autorum strue vel veritati rei aliquod robur, vel ipsi operi, quod sistitur, insigne Decus accederet, nemo hodie adeo Hospes facile in literis, ut non captata quacunque Occasione autoritatus pugnandi integras recentiorum Pnevmaticorum, Physicorum & Ethicorum Cohortes in aciem educere possit. Si quem verò antiqua delectarent, immensam supellectilem ex Stoicâ domo accersere possem, quæ inter alios multos etiam Senecam habuit Præparationem in futuros Casus non leviter suadentem, sed adeo rigide præcipientem, ut illa in

multis Paginis Librorum ejus utramque Paginam faciat. Quotsum etiam pertinet aureus Epicteti Libellus, majoris sane, quoad internum valorem pretii, quam quo ejus fictilem Lucernam (a) post mortem ejus quis emit, qui præmeditationem futurorum Contingentium non perfunctorie commendat (b); taxatis simul alibi perverfis jam istâ ætate Philosophorum moribus (c), qui, veluti Natura præter Facultatem cognoscitivam non etiam appetitivam Animæ nostræ dedisset Facultatem, aut non æque voluntas suâ medicinâ nimirum Correctione, Assuefactione & Excitatione, quàm Intellectus Cognitione & instructione indigeret, totam vitam in speculativa tantum rerum moralium Notitia & Ethica, uti dicitur dogmatica, consumebant, de characteristica & Parænetica seu præceptiva (d) parum solliciti.

[(a) vide vitam ejus præfix. Edit. Gvelferbyt. 1688. 24. (b) vide Enchirid. ejus cap. 9. 17. 29. 53. (c) Enchirid. cap. 11. (d) conjungendas omnes esse docet Seneca Epist. 94. & 95. Aristot. lib. ult. Ethic. c. 9.]

§. XIX. Ut igitur ad rem ipsam tandem nos accingamus, in Præparatione nostrâ tradendâ ita versabimur, ut primo quidem nullis certis & determinatis specificatisque Casibus ostendamus, quomodo in Genere contra omnia in vita nobis evenire solita, quocunque etiam nomine veniant, Animus noster sit præmuniendus, sic non nisi communiora & generaliora præscripturi contra ista Remedia; Deinde verò, cum facile videamus, in tali themate Exemplorum specialium Lucem instar Facis generaliora esse collustraturam, speciales & magis determinatos nobis formabimus Casus, simul etiam contra istorum ingruentem vim specialiora suppeditaturi Arma.

§. XX. In tradenda Parte generaliori, primum, quod examinandum nobis incumbit, est futurorum Casuum Præmeditatio; ita enim definivimus supra §. 17. Præparationem nostram, quod sit Actio mentis interna, quâ homo omnia, quæcunque ipsi in vitâ sive læta sive aspera obtingere possunt, sedulo præmeditatur. In explicatione autem horum Casuum Animo ad præmeditandum proponendorum poterimus esse non adeo prolixi, cum nemo facile sit, qui non intelligat, quomodo hanc Eventuum variorum fictionem institutam velimus; Et infirma valde aut nulla penitus à Naturâ præditus sit oportet Phantasia ille, qui ex intuitu tot Casuum aliis mortalibus quotidie obvenientium, non possit deinde sibi eosdem Casus imaginari, & suæ menti non amplius tanquam alienos sed ut suos sistere præsentis.

§. XXI. Ne

§ XXI. Ne autem facile ullus Casus præmeditationi nostræ se subtrahat, præstat omnes Casus, quicunque demum sint, antea aliis datos & etiam adhuc dabiles pro dabilibus etiam nobis habere. Non oportet communi Juventutis vitio aureos tantum somniantis in futurâ vita montes nihil duri cogitare & asperi: non errore vulgari senum nil nisi tristitia prævidere de venturis lætioribus desperantium: non denique eos tantum casus credere & imaginari futuros, quos tanquam ex suâ Causâ necessario promanatuos deprehendimus; sæpe enim futurorum Fatorum semina profunde in nobis sunt latentia, quæ nullis humanæ mentis oculis clare satis possunt conspici.

§. XXII. At uti timendum, ne hi, quos jam nominavimus, in fingendis Casibus deficient, ita è contrario monendi quàm maxime sunt illi, qui nimis forti phantasia pollent, ut caveant, ne in excessu peccent: ne, cum Tempestates tanquam è longinquo debeant prævidere, se tanquam jam mediis illis in Procellis aut mediis in undis considerent: ne agant more Oratorum & Poëtarum, qui, ut furore poetico & oratorio satisque commota mente scribant & alias mentes commoveant, Personarum, quas describendas sibi sumserunt, statum, genium, mores eousque induere conantur, donec non amplius illi ipsi Poëtæ & Oratores, qui describunt, sed ipsæ Personæ sibi esse videantur, quæ describuntur. Si enim Coloribus Casus Animo velint repræsentare adeo vividis, & Imaginatione adeo forti, ut quasi vigilando somnient, aut in Enthusiasmum quendam quasi prolabantur, verendum sane, ne & deinde in hâc ipsâ suâ Præparatione perversissimum de rebus oblati ferant judicium & plane tale, quale etiam sine prævia præparatione ferrent, si revera ii Casus inciderent; cum Imago nunquam res, prout revera sunt, sed semper augustiores aut leviores Animo proponat. Hoc quidem facere possunt, ut, cum Natura illis insignem præ aliis imaginandi Facultatem donaverit, imagines rerum futuribilium penitus & exactius sibi intra mentem exhibeant, & ubi exhibuerunt, & rem quasi coram sibi spectare videntur, sedulo semet ipsos examinent, quid tum facturi essent, si res revera illis ita eveniret, uti futuram fingunt; illud enim per accidens eò inservire posset, ut sic Affectus suos prædominantes, qui perinde ut virtus sine adversario marcent & latent, detegere, detectisque eò prudentiori Præparatione obviam deinde procedere valerent.

§. XXIII. Deinde etiam non consultum puto, hanc futurorum Imaginationem Casuum instituere stomacho (a) potu, ciboque plus quam par est, onusto, omne sanum mentis nostræ opus impediende. Sanguine enim effervescente, spiritibusque majori cum vehementia concitatis Phantasia fortior reddita, etiam tùm rem, non uti in se est, sistit, & uti repræsentata fuisset, si matutino aut alio Tempore & sanguine, ut ita dicam, frigido eam perpendissemus.

[(a) de tempore vide part. 2. §. 20.]

§. XXIV. Putarem quoque, caute attendendum formaturis sibi Eventus felices, ne tales, qui in suâ Natura nonnisi contingentes sunt, ex malâ consideratione sui sui que status inducti pro infallibiliter & necessario sibi futuris habeant. Licet enim hæc ipsi Præparationi directe non sint nocitura, possunt tamen per accidens alii malo ansam suppeditare, mœrori nimirum, si deinde forte fortunâ spe sua se excidisse viderint.

§. XXV. Si quis itaque syrtibus his scopulisque caute evitatis clare & distincte ea, quæ sibi eventura in vitâ putat, conceperit, omnia quidem, quæ animo exhibita sunt, deprehendet in Genere esse vel bona vel mala, & ea quidem vel Animi vel Corporis, Fortunæ Bonis malive non incommode ad bona & mala Corporis vel Animi relatis; at quæ inter hæc omnia in specie & quousque nomen boni vel mali mali mereantur, sæpe non parum hærebit. Tunc ergo maximopere attendendum, imo summa etiam necessitas flagitat, ut, quod secunda & magna simul Præparationis nostræ Pars est, de formatis Casibus porro etiam rectum feramus iudicium.

§. XXVI. Ut vero iudicium tùm sit sanum & rei conveniens, unusquisque facile humano genere, prout nunc est, vel leviter considerato, concedet, nullo modo iudicandum secundum sensum hujus mundi & secundum iudicium Hominum, quâcunque etiam dignitate & statu viventium, præiudiciis Honoris, Divitiarum, Voluptatis inde à primâ Pueritiâ, imò, præsertim si Infantes in alvo earundem fiunt participes cogitationum, quas ambitiosa aut voluptuosa mater habet, (a) dum prægnans est, ab ipso utero corruptum, intellectualibus etiam maximam vitæ humanæ Partem occupantibus, tanquam testa semel imbuta forte ad mundi usque Finem inveteratum ingratumque odorem servaturum. Posthabito potius omni ægrotantis mundi insano iudicio, putarem ante omnia alia, quæ mihi accidere possunt, judi-
can-

candum esse, non cœco Impetu sed omnia Providentia divina contin- gere: à Deo omnia esse aut immittente aut permittente, semper & ubique cuncta sapientissimi instar Gubernatoris in optimos Fines dirigente; qui nos exhilarat per læta & felicia, ut humiles omnia ipsi tri- buamus, qui etiam per pessima quæque intendit summum nostrum Bo- num, per summas Calamitates nostræ studet Felicitati; qui ut Pater castigat, ut alibi & alio Tempore hilariori nos adspiciat vultu, qui ut iudex punit, ut & acerbitate flagrorum saniolem insipidis det mentem; qui etiam, quando urit, cædit & secat, nihil minus intendit, quam ut in haud exiguum malorum Augmentum abjecto Animo Dolori & Perturbationi succumbamus, sed ut omnia magno Animo in saluta- res illos Usus & Fines modo nominatos & ab ipso intentos haud se- gniter dirigamus: qui denique in mutatione etiam impiæ mentis tri- stitiam quidem intendit in copiosas etiam abeuntem lacrymas, sed ut deinde inœrentem Animam Cœlesti Aurâ eò jucundius refocillet, quan- quam ne id quidem Deum ab Homine pœnitenti requirere Corn- Bontekoe opinetur, solam cessationem à delicto primam pœniten- tis Partem minus bene constituens (b).

[(a) statuit hoc & exinde propagationem peccati originalis ingeniose explicat autor supra nominatus de Inquis. Verit. lib. 2. c. 7. p. 148. (b) in Tra- ctatu Ethico-Physico de Animi & Corporis passionibus §. 22. ubi de reme- diis agit adversus Tristitiam.]

§. XXVII. Huic posset addi tanquam valde cognatum aliud ju- dicium, quod olim Senecæ, Epicteto & Arriano satis frequens fuit, u- numquemque nimirum Hominem esse partem hujus mundi, adeo- que lubenter, si vel ipsis Calamitatibus hoc fieri possit, conferre de- bere, quicquid ad Harmoniam hujus universi servandam pertineat; sed quia Fatum Stoicum & duram illam & inextricabilem absolutæ Ne- cessitatis legem Fundamenti loco habere videtur, merito nobis est su- spectum; licet forte concedamus Judicium illud, (a) cum Hominem suæ dignitatis & Excellentiæ admoneat, magnam vim in Hominis A- nimo præmuniendo habere & posse reddere, modo meliori niteretur Fundamine, hominem si non superiorem, certe ferendis Calamitati- bus parem.

[(a) vide J. Lipsium de Constantia lib. 2. cap. XI.]

§. XXVIII. Mihi potius, si quid adhuc ex Philosophia Stoica pe- tendum esset, quod instar generalis judicii de futuris Casibus adhibe- ri posset, placeret illud, quod quandoque istius scholæ doctores, posito
meliori

meliori Fundamento, communi scilicet hominum in his Terris eaque miserâ sorte, feliciori è contrario Animæ statu post discessum ex Corpore, suis Auditoribus contra omnes Casus arcte tenendum tradiderunt: omnia nempe hac inferiora, quia vilia, generoso Contemptu spernenda, frigide omnia adspicienda floccique pendenda, & in solatium etiam durissimorum cogitandum semper, (a) esse hæc humana.

(a) vide iterum Lipsium de Constantia lib. 2. cap. 26.)

§. XXIX. Deinde, posito etiam, quod meliora post hæc amara vitæ nostræ frustra alibi exspectentur Fata: posito per Fulmina & Tonitrua supra Caput nostrum emissa magnum illum Tonantem non serenum aliquod æternitatis meditari, sed omnia velut ictus esse severissimi judicis: posito malorum omnium hanc Nubem nobis metipsis nos propria attraxisse Culpa, hoc etiam iudicium firmiter omnium imprimi Animo velim, stultissimum esse, mala, quæ in se & suâ Natura sunt ineluctabilia & ob præsentiam suam jam non amplius evitabilia, voluntaria impositione & exaggeratione mali, mœrore, dolore, angore, tristitia, Lamentatione, fletibus, impatientia reddere atrociora, & præter afflictum & emotum malorum Furoribus Corpus etiam Animum in profundissimum Perturbationum Barathrum detrudere.

§. XXX. Quod autem porro attinet sententiam istam de Bonitate aut malitia formatorum Casuum ferendam, in cujus rectitudine vix dici potest quantum sit situm, plurimis Hominum mentibus tantum non semper iudicii gravem Eclipsin patientibus, ut illa sententia sit vera & bona, nihil magis meo quidem iudicio præstabit, quam accuratori mentis oculo considerare Finem nostrum, ob quem hic sumus, & quid nostri officii, quamdiu hic sumus. Deus me creavit, discessi ab illo, miser factus sum, ad illum redeundum est, in hoc reditu maxima vitæ Pars occupanda, hoc opus primum, hic Labor fere unicus & quo propius quis ad Deum iterum per Correctionem sui accedit, eò altius supra reliquos Homines omnes, supra omnia subsellia, supra Thronos, supra Gazas, supra delicias, imò supra omnes mundanæ, ventosæ & spumosæ Eruditionis jactatores eminent, adeo ut illa omnia, si hoc unicum desit, tanquam vana & homines sæpe per totam vitam à vero studio abducentia, celfo animo despiciere possit. Video porro me Corpus habere organicum, quotidianæ sustentationis indigum, cujus Natura paucis contenta & quæ superfluis carere potest, quæque insuper, si recte adspiciatur, facit, ut ingens illud divitiarum

rum

arum Nomen tam vano splendore mortales alios excœcans cito in oculis meis multum vilescat. Deprehendo deinde in me jucundum quendam sensum, quo Anima hujus organi occasione sæpe suaviter afficitur, quem tamen cum non alium in Finem à Lege Creatoris mihi datum sciam, quam ut per Cibus Conservationem mei tanquam Individui & per Congressum totius speciei Conservationem appetam, reliqua voluptatum Genera & mille alia Luxuriæ instrumenta, quibus perversi Homines perceptiones reddere dulciores didicerunt, tanquam non summe necessaria, supervacanea, sæpe non utilia nec semper licita, non eodem quo reliqui insanientis voluptatis ministri adspiciam oculo. Ut autem Corpusculo meo de iis prospiciam, quibus plane carere non potest, quàm pauca etiam poscat, Deus me laborantem in primis ætatis annis ea docebit, quæ proximo oblata & communicata tantum semper referent, quantum vitæ & Corpori sat erit, etiamsi ea non sublimi aliqua sede conspicuus cæteris distribuero. Ast cum non possim meliores merces aliis exponere, quàm Natura & labor mihi suppeditare potuerunt; cum non possim aliis & alibi eas dividere, quàm quibus & ubi Deus voluerit, servitutum metum proximo meo, quantum potero, decumani illi Tituli, hominumque Fastigia non amplius movebunt. Si mortales hunc nostri Finem diligenti oculo considerarent & firmissime menti ut infallibilem veritatem imprimerent, oblatosque Casus semper cum hoc Fine, antequam de iis iudicium ferrent, compararent, quousque ad illum accederent, aut remotiores ab illo abirent, profecto ea, ad quorum adventum infirmæ mentes tremunt, non pro adeo malis habituri essent, ut iis frangerentur, nec ea, quorum accessu fere omnes excœcantur, pro adeo bonis æstimaturi, ut tumidi efferrentur.

§. XXXI. Non rarò tamen contingit, ut quis, collaturus etiam quàm diligentissime ea, quæ sibi obventura auguratur, nihilo minus de Bonitate aut malitia eorum nihil minus quàm certum & indubitatum ferre possit iudicium, ignarus omnino, utrum sub illis futuræ suæ in hæc vita Felicitatis an Infelicitatis semina lateant; inscius etiam utrum ad illorum repudiationem an Electionem mens sit determinanda. Neque mirum, præsertim si Casus sint pleni discriminis, & qui in hominem prudentem incidant, ob Notitiam sui ipsius, Cognitionem accuratam Causarum Periculorumque, ob multam quoque re-

C

rum

rum Experientiam plerumque timidum; qui non temeraria incon-
sulti Animi Audacia in difficilia & dubia quæque præceps, sed innu-
meros rerum successus, qui inde evenire possent, intuens, anceps,
quò se inclinet, non invenit. Tum quidem ego consultissimum fo-
re putarem, ut tale Bivium prævidens viator aut statim superiorum col-
ligat sententias, aut serium & firmissimum faciat Propositum, si con-
tingant, quæ ominatur, nullo modo pendente animo contra Consci-
entiam agendi dubiam, & alterutram eligendi viam, sic infelici rei
successu inter mœroris & Indignationis Poenam seipsum accusatu-
rus, sed vel Parentum vel agnatorum vel patronorum vel etiam pru-
dentiorum quorumcumque Consilium in auxilium sibi vocandum
proponat, ita, quomocumque res ceciderit, Eventum æquiori Ani-
mo laturus.

§. XXXII. Si cui hæc Præparationis nostræ Consilia vilia & con-
tra futuros Casus munimenta non satis videntur fortia, uti non nega-
mus, posse fortassis ab uno alterove efficaciora ponderosioraque ju-
dicia inveniri, meliori etiam collocari ordine, velim ille sciat, nos
non in animo habere absolutam & perfectam se præparandi Metho-
dum præscribere aut exactam communicare Regulam, ad quam tan-
quam ad Amussim omnes Præparationes adstringere velimus, utpote
contentos qualemcumque manuductionem ostendere, quomodo
pectus contra futura obfirmari possit, cætera autem, occasione eo i-
pso ulterius meditandi data, uniuscuiusque Ingenio relinquen-
tes.

§. XXXIII. Deinde non semper à gravibus dictis & ex intimis
Philosophiæ visceribus ipsoque sapientiæ humanæ Fonte petitis judici-
is hoc Negotium dependet, observatum est, etiam nonnunquam vel
generalissimis tantum Principiis omnibus notis, aut levibus Proverbi-
is, tritis etiam, uti vocantur symbolis modo firmiter Menti Impres-
sis seduloque & quotidie in memoria versatis animum contra immi-
nentia invictum & inexpugnabilem reddi. Aurelius Alexander Se-
verus (α) πολυθρύλλητον illud, quod tibi non vis fieri, alteri ne fece-
ris, & ex jure Naturæ notum Principium non tantum sæpissime in ore
habuit, sed & publicis operibus præscripi jussit, hæc insigni utilitate, ut
deinde, quotiescunque ipsi agendum aliquid erat, ad hanc æternam
justitiæ Regulam, quæ tum semper memoriæ occurrebat, tanquam ad
sua-

suarum Actionum optimam Normam recurreret, & iustitia atque Clementia insignis Princeps erga omnes multa alia Imperii monstra ante iret, quæ ante illum Crudelitatis & Injustitiæ maculâ Imperii Purpuram foede polluerant. Ita nonnunquam compertum est, etiam illud Time Deum, Neminem læde, suum cuique tribue, in plebejorum & infimæ sortis Pectoribus domitu alias admodum difficilibus multum potuisse & instar custodis integritati vitæ illorum perpetuo appositi efficaciter prohibuisse, ne in iis, quæ agenda aut omittenda Casus obtulerat, contra æternam iustitiæ Regulam in Amore Dei & Proximi aliquid omitterent aut agerent. Memini etiam, me in beati cujusdam Theologi Libro, quem Thesaurum Animæ inscripsit, antehac consilium legisse haud contemnendum, quod Hominibus cum Affectibus & vitiis adhuc colluctantibus & ob id contra omnes scelerum occasiones indurandis sincere suasit, nimirum ut singulis hebdomadis diebus peculiare quoddam dictum vel ex libro Naturæ vel Scripturæ volumine petitum & singulis affectibus mentem non rarò turbantibus oppositum destinarent, illud singulis septimanis statò die repetentes firmiter inculcarent animo, quo illud deinceps repentinis Casibus Animi integritatem & Tranquillitatem instar hostis evertere tentantibus tanquam aheneum murum possent objicere. Ipse novi Hominem antehac ob levia quæque aut saltem mediocria plerumque Invidia, Ira, Impatientia, desperatione plenum imò fortissimis quibusque turbati Animi motibus abreptum, simulac attentius ad mentem illam æternam omnia inferiora diligenter sapienterq; gubernantem respicere & veluti Arriani Imitator (b) sæpe in memoria & ore habere illud cœpit: Quia tui ita voluisti mi Pater, nunc conformatis eo ipso desideriis ejus cum Nutu Numinis, etiam inter Tempestates & undas sapientis sui Naucleri tranquillus spectator factus, & perinde ac veteranus miles sanguinem suum, omnia sine magno motu adspicit.

[(a) vid. Æl. Lampridium in ejus vita (b) Arrianus dissert. Epictet. diss. 6.]

§. XXXIV. Cum autem fere impossibile sit, omnes Casus etiam sagacissimo Animo prævidere, de iis quidem nulla potest in antecessum ferri à mente nostra sententia; interim firmissimo Proposito Animo imperandum censeo, ut nunquam de subitis & inopinatis Casibus, quando contingunt, judicet, & decorum Bonitate aut malitia

pronunciet, sed modo vel minimam res patiatur dilationem, iudicium, quàm proclivis etiam ad iudicandum sit mens nostra, ad Tempus differat. Haud inutile, uti alias, ita & tùm foret, ut eo facilius iudicium mentis suspendi possit, Libertate aliquando nostrâ uti, quâ Creator mentem nostram donavit, & cum Cogitationes suas Exercitiores, si modo sibi relictæ & non à Numine, Angelo aut malo Genio agantur, in Potestate sua magis habere possint, quàm quidem vulgò putatur, in omni Fortunâ mentem à re, cuius novitate mens tacta, quantum possibile, avertere, donec pedetentim paulatim sine vehementiori Animi Impetu re considerata, eò melius verum à falso, à malo Bonum distinguere sciamus. Efficax profecto contra Perturbationem mentis & ejus Eversionem antidotum hæc ipsa Aversio, imò inter intensissimos etiam Corporis dolores & acutissimos Animi Ictus nulla propior ad eam Indolentiam, qualem in hac quidem vitâ promittere nobis possumus, via. Cum enim Anima nostra nihil, quod ipsi & Corpori accidit, percipiat, nisi ad objectum illud repræsentatum percipiendum studio se convertat, non mirum, si deinde digito, dente aut capite dolente ad talia Objecta conversi, quæ accuratiorem mentis attentionem & Præsentiam requirunt, ad Tempus dolores non sentiamus: non mirum, si quandoque martyres in primitiva Ecclesia, animâ illorum in dulcissima summi Boni Dei Idea, in prægustu jucundissimæ Beatitudinis & vitæ æternæ suavissimo totâ occupatâ, parum aut nihil Ferrum, uncos, equuleos, tunicam molestam & alia durissimorum suppliciorum Genera sentirent, quibus Corpus tam miserandum in modum affligebatur. Ipsa etiam Conscientiæ malæ Tormenta & furda verbera ad Tempus desinunt, si quis Carmina, Arithmetica aut Geometrica aut alia seriâ meditetur cura intentiorem mentis Aciem requirentia, quanquam in tali Casu mentem aliò convertere nihil aliud esset, quàm superiori Gratia in nobis operaturæ impie resistere.

§. XXXV. Non sufficit autem, ut de repræsentatis Animo Casibus verum feramus iudicium, necessarium etiam est, ut firmissimum faciamus propositum, & illud quidem sæpius repetendum, de iisdem Casibus olim præsentibus eodem modo iudicandi: necessarium est, ut in iudicio semel lato animum penitus induremus, ut pro infallibili illud habeat, quod semel sensit, ut pertinacissimi simus in illo ulterius de-

fen-

pendendo, & ab omnibus dubiis & difficultatibus, quibus adhuc premitur, liberando. Periculum enim alias est, ne deinde, cum revera nobis evenit, quod futurum putaveramus, quâ sumus inconstantia in his Terris, iudicium nostrum mutemus, in dubium vocemus aut illius non amplius recordemur.

§. XXXVI. Cum itaque Causa, cur in Præparatione nostra, ferre de rebus repræsentatis iudicium & illud sæpe repetere debeamus, ea sit, uti apparet, ut deinde illius Iudicii recordemur, putamus necessarium jam esse Recordationis istius rationem reddere & ostendere, unde fiat & qualis Facultas sit, quâ Anima nostra Gaudet, quinam habitus, quo pollet, ut suarum Cogitationum & Iudiciorum tam prompte & facile deinde recordari possit. Placet autem in hac re sententia recentiorum, quam pro verâ assumemus, donec alii Philosophi veriorem & probabiliorem invenerint, præsertim cum ex hâc hypothesi plurima phænomena solvi possint. Examinatis igitur probe mentis humanæ habitibus, qui nihil aliud sunt, nisi prompta recordatio, magnam eorum Conformitatem cum habitibus Corporis esse statim deprehendimus. Anima scilicet cum Corpore organico à Deo conjuncta ut illud regat & dirigat, spiritus Corporis & mediantibus illis totam machinam voluntate sua movet, hoc ipso quoque Imaginem sui Creatoris egregie referens, qui uti ipse totum hoc universum per omnipotens suum velle & fiat produxit, opus etiam productum, cum momentum unum existentiae rei non dependeat ab altero Existentiæ momento, voluntate sua conservat, ita etiam Animæ rationali Facultatem quandam, utut inferiorem & à legitima constitutione organorum dependentem dedisse videtur, Corpus nutu & voluntate sua movendi. In habitu e. gr. Corporis acquirendo, v. g. saltandi aut quodcumque membris Corporis tractandi, spiritus à voluntate Animæ versus certas Corporis Partes determinati influunt in musculos illorum membrorum, quibus actio suscipi & in quæ actionum istarum crebra repetitione facilitas agendi seu habitus introduci debet, ita tamen, ut, cum nonnisi prima aut secundâ vice cursus hic spirituum versus istas Partes susceptus fuit, via quasi nondum satis aperta spiritus nonnisi ægre & cum difficultate quadam membra figurent & secundum præscriptum & ab animâ intentum modum disponant; Cum verò eundem

dem Cursum per easdem Partes crebris vicibus repetiverunt, via quasi reddita trita, celerius & fortius in musculos influentes deinde in momento saepe pro Nutu mentis varium in modum artificiose flectant & modificent. Eodem ferme modo res se habet cum habitibus Animi. Imagines rerum ab extra nobis advenientium primo quidem concutiunt organa seu Nervos sensorios, quam Concussionem commotio nostrorum sequitur spirituum, qui motus celerrime continuatur usque ad Cerebrum & hujus motus occasione denique Anima rem aliquam percipit. (Quomodo autem res materialis, qualis sunt spiritus nostri, in Cerebro afficere possit rem immaterialem, qualem esse Animam nostram plerique fatentur, quæ sit connexio inter motum istum in cerebro & inter conceptum seu Ideam, quam Anima hujus motus occasione habet, meum h. l. non est, disquirere, nec præter legem creatoris aliquid adducere novi.) Hoc judicium esto non tantum de Impressione idearum, quæ occasione sensuum fieri solet, sed etiam de aliis Cogitandi modis, Phantasia & Intellectu puro, ubique spiritus moventur, sive motus Fibrarum seu Nervorum extrinsecus ab objectis excitetur, quem modo tradidimus, sive Anima per spiritus animales intrinsecus fibras moveat, sive etiam rerum Incorporearum Ideas nude percipiat. Hoc autem bene notandum, quod in omni Perceptione Animæ nostræ præcedens spirituum motus certa in Cerebro relinquat vestigia, ita ut Fibra flexuram quandam ab illo seu plicam accipiant. Si hæc vestigia primâ vice Cerebro imprimuntur, peragitur hæc impressio non nisi segniori paulo difficiliorique spirituum Cursu, angustiis viæ quasi nondum satis tritæ Cursum spirituum tardiolem reddentibus; si repetitis vicibus, eidem semitæ insliterunt, vestigiaque ante hac facta reiterarunt, & denuo semper easdem Ideas excitarunt, ingens mox facilitas per reiteratos hosce meatus nascitur pro mentis lubitu & Nutu easdem imagines & ideas repetendi & de novo sibi repræsentandi. Facilior autem adhuc has ideas excitandi repetendique Animæ Facultas videbitur, si considerabimus, non istam tantum Ideam, ad quam solam percipiendam Anima se erexit, Cerebro imprimi, sed simul multas alias Ideas, cum hæc Idea quasi vinculo connexas, v. g. Ideam Temporis, quo istam Perceptionem mens habuit, Ideam loci, in quo rem Anima consideravit, imo ideas aliarum

Cir-

Circumstantiarum aut rerum, quampiam cum eâ similitudinem & nexum habentium, hoc quidem insigni Fructu, ut non facile deinceps una harum Idearum in mente excitetur, quin simul reliquæ recurrant. Ipsi etiam Affectus, quod mireris, qui tum Temporis nostrum Animum perturbarunt, cum talia nobis contingerent, aut ea audiremus, quæ affectus certos excitabant, adeo altas veluti radices in Animo egerunt, ut quotiescumque Temporis seu rei illius Idea denuo in mente excitatur, quæ illis affectibus occasio fuerat, simul redeant illi ipsi affectus, quibus mens olim obnubilata fuerat, licet tanto Temporis intervallo aliquid omnino de suâ vehementia remiserint. Ita quotiescumque certum quoddam Canticum aut ipse ingemino aut alios illud ingeminantes audio, quod tantum non per omnes dies tam in Templis quàm intra domesticos Parietes tum canebamus, cum Turca 1683 Viennam obsideret, vix possum prohibere, quin invadat Animam confusus quidam angor, quem plane similem deprehendo illi angori, in quem tum temporis ut puer coniectus sui, cujus Cerebrum molli & profundorum vestigiorum satis capaci facillimum fuit duratura metus & Terroris vestigia imprimere. Facile etiam ex his patet, cur in Auribus quorundam Hominum cantica cica Festa in Ecclesia cani solita, solito jucundiora & præstantiora cæteris videantur; cur ingenti quâdam lætitia perfundantur, ut illam etiam semper Gratiæ non Naturæ adscribant, redit affectus cum redeunte Tempore, quem in illorum mentibus excitarunt olim varia illa dona pueritiæ & juventutis Annis donata, varii Ludi illis Anni Temporibus aliàs etiam susceptis, variæ aliæ oblectationes, quibus alias hæc Anni Parte animum recrearunt. Possunt hæc, quæ dixi de connexionem Idearum & de earundem facili ob hanc Connexionem recordatione ipsa etiam Experientia probari. Inmutuis enim cum Amicis sermonibus aut quotidianis, quas instituimus, meditationibus, si etiam illud meditemur & examinemus, quomodo inhas vel illas meditationes devenerit mens nostra, quomodo tam diversa nobis inciderint, videbimus sane, nos inter initia vel cogitasse generalia & hinc facili negotio animum ad specialia delapsum, vel excitasse Ideas, magnam cum prioribus & antecedentibus similitudinem & conformitatem habentes, vel duas Imagines memoriæ fuisse repræsentatas, quia illas sæpe antea conjun-

ximus,

ximus, aut non facile aliàs disjunctas menti nostræ exhibuimus. Equidem non ignotæ nobis difficultates, quæ ex hâc de recordatione animæ nostræ sententia circa mentes separatas oriri possunt, quibus vix videtur, quomodo ex hac hypothesi memoria vindicari possit; verum cum materiam infinitas modificationes & forsan innumeras alias adhuc, de quibus adhuc nihil nobis constat, accipere posse intelligamus, quidni etiam Spiritum & Animam separatam multorum aliorum ut cogitandi sic & recordandi modorum capacem concludamus, etsi paucorum tantum hujus cogitandi modorum, quoad Corpori organica unita, simus conscii. Quas enim Facultates Anima nostra habet, quarum perceptionum & modificationum sit capax, tum demum discit & experitur, cum eas primâ vice exercat, ut adeo non possimus argumentari: anima sibi hujus vel illius perceptionis & Facultatis non est conscia, & nullam ejus ideam habet, ergò impossibile est, talem Facultatem in Animam posse cadere. His præmissis, quæ superflua alicui videri possent, jam facile patebit, unde tantum ex quotidiana judiciorum de rebus repræsentatis latorum repetitione contra futuros Casus Animæ nostræ contingat munimentum. Cum enim Casus, de quibus antea absentibus multum cogitavimus, nos sua præsentia demum de statu nostro dejicere conantur, simul ac idea Casus præsentis animæ nostræ repræsentatur, una opera ob intimam Connexionem Idearum simul excitantur judicia illa, quæ de his Casibus, cum adhuc de specula cernerentur, ferebamus.

§. XXXVII, Si vero cum Casibus Judicia de Casibus lata in mentem veniunt, modo Judiciis sua in sit rectitudo: certe omnis Casuum sive atrocitas sive Bonitas plane vim suam in perturbandâ mente amittet, aut minimum commotionem in Animo excitabit nonnisi leve n, qui est ultimus & principalis Præparationis Finis, nimirum non moveri, non perturbari Animo, si eveniant, quæ prævidimus. Ut hic Finis obtineatur, ut summe necessarium antea requisivimus rectum de rebus eventuris Judicium. Quod autem rectum de rebus judicium tam multum possit ad inhibendam mentis perturbationem, non puto mirum cuiquam esse posse. Constat enim satis superque, nullum in Anima nostra excitari motum præsertim vehementiorem, nisi præcesserit judicium quoddam de rei, circa quâ Anima cogitando occupata est, vel bonitate vel malitia, & prout illud judicium sese habet, h. e. prout bonum

bonum vel malum repræsentatum grande aut leve ab Animâ æstimatur, ita & diversos in mente hoc est vel leves vel magnos sequi motus & affectus. Possunt hæc, quæ dixi, facile probari à Fine affectuum & motuum Animæ, quos sane à Creatore ad Conservationem Corporis datos scimus, quibus armatam animam novimus eam ob Causam, ut certis occasionibus Corpus non langvide ad malum sustinendum vel averſandum & ad bonum appetendum & consequendum rite disponamus, ne Corpus aut vita periculo exponatur, aut aliquid omittatur, quod ad conservationem commoditatemque Corporis facere possit. Quomodo autem poterit Anima corpus suum contra imminencia mala, aut ad obtinendum aliquod Bonum aut aliter disponere, nisi prius iudicium ferat de rebus, quæ ipsi eveniunt aut evenire possunt, utrum bonæ sint an malæ, utrum mala sint atrocia an leviuscula. Quivis etiam, qui modo paululum ad se & ad ea quæ in seipso peragi sentit, attendere consuevit, quæ sane meliorem Pnevumaticum & Ethicum faciunt, quàm si multos alios evolviſſet Libros, experietur facili Negotio, se semper, antequam vel Terror injiciatur, vel amor aut odium insinuetur, vel antequam ad iram provocetur, sententiam aliquam ferre, & res vel malas & noxias dicere, ideoque sibi fugiendas, vel bonas pronunciare, & hinc appetendas iudicare. Experietur, quo magis Iudicium suum præcipitet & illud præsertim in rebus nondum satis cognitis non suspendat, eò crebrioribus Animæ Perturbationibus & inordinatis Affectibus se abripi solere; contra, si asuescat nulli rei fidem habere, & plenis velis ut ita dicam in assensum nunquam ferri, nisi ubi cogitur, & ubi non potest non consentire aut dissentire, non ejusmodi affectuum Procellis & Turbinibus esse obnoxium. Frustra nonnulli obtendunt affectus esse meros motus Animales, in quos Anima rationalis parum Domini imo nihil obtineat, sed illos contra voluntatem nobis oboriri. Qui attendit, quid in se fiat, quoties affectus excitantur, deprehendet contrarium. Observabit, involuntarios quandoque dici posse hos motus, quia multa nostram Animam ex improvise & præter opinionem percellunt, de quibus anxia in momento & summa celeritate iudicat, antequam recte omnia cognoverit; ad iram permoveri se patitur in momento, quia objecta leviter molesta subito irruentia magno molestiæ Titulo confestim onerat; si

D posset

posset ea prævidere, & omnem molestiæ Larvam, quâ fallunt, illis demere, videret se satis fortem & constantem ad eorum adventum esse posse. Si quis dicat, se non esse sibi conscius talium animæ judiciorum, sed sine illis omnia peragi, illi respondeo, non opus esse, ut anima semper verbalia judicia ferat, sufficere nonnunquam imò sæpissime Judicia, si ita appellare licet, realia, quæ si nos deinde examinamus, demum in verba resolvere possumus. Fert sæpe judicia talia, qualia ferre necesse est mutis & surdis à nativitate, quos, si illorum Actiones spectemus, videmus ratiocinari, ut alii homines ratiocinantur, unum ex altero colligere, sed sine ullo verbo mentis, sine ullis certis ideis, sonis & vocibus alligatis. Firmū itaque fixumque manet, quod antea diximus, judicia præcedere motus Animæ, & ut motus evitentur, & nimii in Anima vehementissimique affectus, angor, tristitia, nimius metus, vera de iis rebus ferenda esse judicia, quæ alias, si falsa sunt, hos turbidos Affectus in Homine solent excitare, quæ autem judicia sint vera, supra ostendimus. Et hinc apparet, cur in definitione Præparationis nostræ supra allata recta de rebus, quas prævidemus, judicia eum in Finem requisiverimus, ut deinde, quando anima, præsentibus iis, quæ futura olim finxit, ob connexionem Idearum judiciorum antea de iis latorum, recordatur, non ex statu Tranquillitatis in summam Perturbationem abripi possit, nimirum ex nulla aliâ ratione, quàm quia supposuimus, quæ modo explicavimus, diversa scilicet Animæ judicia diversos in Anima & Corpore sequi motus.

§. XXXVIII. Dedimus hactenus Consilia quædam universaliora contra futuros Casus in Genere ostendimusque, quomodo partim casus certi fingi, partim de iisdem certa judicia ferri debeant, hunc maxime ob Finem, uti jam dixi, ut, hâc Præparatione modo quotidie repetita & familiari animo reddita, facta insuper firmissimo proposito eodem modo de iisdem rebus judicandi, deinde, si incidant, quæ prævidimus non tremamus, non angamur, non inscii, quò nos vertamus, quid sentiendum aut eligendum, sed prout habet Natura nostræ memoriæ supra explicata, ut tùm potius propositum illud exequamur, quod antea fecimus; ut tùm recurrant illa judicia sana, quæ antea tulimus, quæque sæpe reiteravimus, omniaque illa, quæ accidunt, cum diversitatem judiciorum, tam realium seu virtualium, quàm verbalium, uti supra

di-

dictum, lege Dei diversi in Animâ sequantur motus, vim suam amittant animum conjiciendi in Perturbationem nimiam, Corpus in ingens sanitatis discrimen.

§. XXXIX. Descendendum nobis jam esset ad Partem Dissertationis nostræ specialiore, sed cum plagulæ præter opinionem jam ultra solitam multitudinem excreverint, placet hic subsistere, Posterioriorem Laboris hujus partem ad aliud Tempus differentes.

COROLLARIA.

I.

Nulla quidem ratione penetrari potest, quomodo Deus præscire possit Actiones hominum, qui propria in agendo Libertate gaudent, tam Contradictionis quam Contrarietatis; negare tamen Præscientia Dei non potest, nisi velimus Nihilum seu Imperfectionem, quod absque læsione Majestatis Divinæ fieri haut posset & impium esset, in Deo admittere; alias enim sequeretur, quod Deus, si ignoraret Actiones hominum Liberas ante Eventum, quotidie doctior fieret.

II. Si quis dictamen rationis sanæ sequatur, ab illâ nunquam ad ea neganda permovebitur, quæ in divinam resolvuntur Fidem; cum in illis, quæ credi debent, ratio sana statim videat, se non sufficientem habere subjecti & prædicati in quæstione propositâ notitiam, adeoque relationes omnes inter Subjectum & Prædicatum non posse pervidere, multo minus judicium ferre, & temere quæstionem vel affirmare vel negare.

III. Qui Corporis & Animæ vinculum statuunt esse Voluntatem Dei, qui ipse immediate occasione Animæ cogitantis moveat Corpus, & qui occasione sic vel aliter moti